

secundam Orationem de B. M. V., tertiam *Ecclesiae* vel pro Papa <sup>1</sup>.

920. Die Nativitatis Domini unam solummodo Missam celebrare potest, et non tres <sup>2</sup>.

921. Sacerdos plane caecus aut ab omni celebratione Missae absteat, aut non sine speciali Indulto Apostolico et absque assistentia alterius Sacerdotis celebret, ad quod tenetur sub gravi tametsi obligatio haec expressim non fuerit Indulto apposita <sup>3</sup>. (Vid. n. 418).

922. Sunt et multae aliae Missae votivae, quae particularia seu specialia non habent, praeter ea, quae in Missali ipso indicantur suis locis.

#### CAPUT IV.

##### DE MISSA PRIVATA IN ALIENA ECCLESIA ET IN ORATORIO PRIVATO.

###### § I. — De Missa privata in aliena Ecclesia.

923. Iuxta regulam generalem, Missa cum Officio diei concordare debet; ideo Sacerdos celebrans in aliena Ecclesia vel Oratorio publico, Missam dicere debet Officio ab ipso recitato correspondentem, dummodo cum colore Ecclesiae, ubi celebrat, aptetur <sup>4</sup>.

924. Qui celebrat in aliena Ecclesia Missam sui Officii, eam, si propria est et in Missali invenitur, dicat;

<sup>1</sup> S. Rit. C. 28 April. 1866, in Nolana, ad 5.

<sup>2</sup> S. Rit. C. 11 April. 1840, in Balneoregien., ad 4.

<sup>3</sup> S. Rit. C. 12 April. 1823, in Panormit., ad 11.

<sup>4</sup> S. Rit. C. 17 Septemb. 1853, in Calatayeron.

si non est propria aut in Missali non invenitur, illam sumat de respectivo Comuni, excepta Oratione, si praesto sit, nec non Evangelio, quod semper respondere debet Evangelio Officii.

925. Si Celebrans Missam dicit iuxta Calendarium alienae Ecclesiae, quia proprio uti non potest, quoad *Gloria*, *Credo*, etc. huic Calendario se accommodare debet; si vero Sacrum facit iuxta proprium Officium, et in propria Ecclesia dicendum esset *Credo*, potest illud dicere aut omittere, nisi foret dicendum in propria Ecclesia tantum ratione Reliquiae insignis, vel ex speciali privilegio, quia tunc debet illud omittere <sup>1</sup>.

926. Regulares festis principalibus Ordinum suorum, et maxime festo Fundatoris seu Patriarchae, speciali gaudent privilegio addendi Missae Symbolum, quando celebrant in aliena Ecclesia <sup>2</sup>.

927. A regula generali, num. 923 citata, variae dantur exceptiones, et sunt sequentes:

928. Sacerdos, qui diebus festis supplet vicem Parochi et dicit Missam parochialem, celebrare debet iuxta Calendarium Ecclesiae alienae <sup>3</sup>. Item, qui in aliena Ecclesia celebrat Missam de die aut de Requie cum cantu <sup>4</sup>.

929. Quando in aliena Ecclesia celebratur festum cum solemnitate et concursu populi, Sacerdos, etiamsi in suo Officio habeat ritum duplicem I cl., sese in celebratione huic Ecclesiae accommodare debet <sup>5</sup>.

<sup>1</sup> S. Rit. C. 11 April. 1840.

<sup>2</sup> S. Rit. C. 18 Decemb. 1779, ad 7, in una Ord. Min. S. Franc.

<sup>3</sup> S. Rit. C. 23 Maii 1846, in una Iuden.

<sup>4</sup> S. Rit. C. 15 Dec. 1691; 29 Ian. 1752, ad 11; et 23 Maii 1840, ad 5.

<sup>5</sup> S. Rit. C. 29 Ian. 1752.

930. Similiter quando in illa Ecclesia celebratur festum duplex, vel de Dominica, quae colorem exigunt non congruentem Officio suo <sup>1</sup>. Si ergo habeat Officium de Martyre, et Missam celebret ubi fit de Confessore, et vice versa <sup>2</sup>; aut si habeat Officium de Dominica, et celebret ubi fit etiam de Dominica, sed infra Octavam diversi coloris: in utroque casu quoad ritum, respective Commemorationem Octavae se accommodare debet <sup>3</sup>, et nullo modo potest Missam dicere de Martyre cum colore albo aut de Dominica sui Officii. Si vero ipse Sacerdos habeat Officium de Dominica infra Octavam, et celebret in Ecclesia, ubi fit de Dominica in colore viridi, tenetur se conformare Ecclesiae quoad colorem; sed potest, quamvis non teneatur, in Missa addere Commemorationem suae Octavae, servata Rubrica de duplici Oratione tantum, nisi alia occurrat de simplici aut de alterius Octava <sup>4</sup>.

931. Celebrans, qui recitavit Officium de aliquo Beato, et celebrat in Ecclesia, ubi festum fit de Sancto, sequi debet Calendarium Ecclesiae alienae <sup>5</sup>, nisi habeatur Indultum speciale. Si vero in eadem Ecclesia fiat Officium de aliquo Beato sibi non concesso, sed solis Sacerdotibus huic Ecclesiae addictis vel Ordini religioso etc. adscriptis etc., celebrare ibi non potest, sed alibi celebrandum vadat <sup>6</sup>; si vero ex aliqua necessitate, non autem ex devotione, in illa Ecclesia debeat

<sup>1</sup> S. Rit. C. 17 Septemb. 1853.

<sup>2</sup> S. Rit. C. 7 Septemb. 1816, in una Iuden.

<sup>3</sup> S. Rit. C. 11 Iunii 1701; et alias.

<sup>4</sup> Ibid.

<sup>5</sup> Ibid.

<sup>6</sup> Ibid.

Sacrum facere, se conformet Ecclesiae, in qua celebrat <sup>1</sup>.

932. Si Sacerdos celebret ex debito Missam conventualem in Ecclesia Monialium, vel aliorum, qui ad Chorum et Officium canonicum adstricti sunt, Missam celebrare debet iuxta illorum Calendarium ex Missali Romano <sup>2</sup>; quodsi proprium Officium et Missam propriam ex privilegio habeant, Celebrans hanc Missam propriam sumat <sup>3</sup>. Haec non intelligenda sunt de Monialibus, quae loco Officii canonici dicunt aliud Officium, v. gr. Officium parvum B. M. V., etc.

933. Qui recitavit Officium de duplici, non potest in Ecclesia, ubi fit de semi-duplici, celebrare Missam votivam aut de Requie, etiamsi ista polleat privilegio de quo infra num. 934, nisi et ad hoc specialiter extendatur; iam vero potest dicere Missam de Requie, si fit Officium Defunctorum cum solemnitate et concursu populi, et si applicat pro Defuncto. Et vice versa, qui recitavit Officium de semi-duplici, non potest dicere Missam votivam aut de Requie, ubi fit de duplici <sup>4</sup>.

934. Ecclesiae nostrae privilegio gaudent, quod omnis Sacerdos et Religiosus extraneus Missam iuxta Calendarium nostrum dicere possit, quin tamen teneatur, etiam de Requie in semi-duplicibus, quamvis recitaverit Officium de duplici <sup>5</sup>. Similibus privilegiis gaudent etiam et aliae nonnullae Congregationes religiosae.

<sup>1</sup> S. Rit. C. 13 April. 1867, in una Ord. Praed.

<sup>2</sup> S. Rit. C. 18 Martii 1702, in Neapolit.: et 7 Decemb. 1844.

<sup>3</sup> S. Rit. C. 18 Martii 1702.

<sup>4</sup> S. Rit. C. 12 Novemb. 1831.

<sup>5</sup> S. Rit. C. 5 Decemb. 1868, in Siren. ad 1.

**935.** Sacerdos, qui celebrat in Ecclesia, quae privilegio num. praecedenti expresso non gaudet, et iuxta sub num. 929 dicta tenetur se illius Calendario conformare, adhibeat omnino Missale Romanum quoad ea omnia, quae illi Ecclesiae specialiter sunt concessa: haec enim ab iis solis dici possunt, quibus privilegium est concessum <sup>1</sup>.

**936.** Regulares quocumque modo, servatis servandis, alicui Ecclesiae ut Rectores, Vicarii aut Curati, etc. praefecti, tenentur ad Officium et Missam Ordinis; si vero pro populo statutis diebus applicare debent, stare debent Calendario Dioecesis.

**937.** Parochus saecularis, qui non habet propriam Ecclesiam, sed utitur Ecclesia Regularium, dum color dissonat a dioecetano, se accommodare debet Calendario Ordinis, sed cum Missali Romano, nisi speciale habeat privilegium.

**938.** Episcopus tum in propria cum in aliena Dioecesi, etiam tempore Visitationis, quoad Missam et colorem, etiam in Ecclesia Parochi regularis, tenetur observare Decreta pro aliis Celebrantibus in Ecclesiis alienis datis <sup>2</sup>.

**939.** Quod dictum est de Ecclesia, hoc idem valet de Oratorio publico, i. e. Oratorio Episcopi auctoritate erecto, ad Dei cultum perpetuo dedicato et consecrato, vel saltem solemniter benedicto, ac ingressum liberum in via publica habente.

**940.** Oratoriis publicis aequiparantur quoad celebrationem Missae Oratoria Cardinalium et Episcoporum in

<sup>1</sup> S. Rit. C. 11 Junii 1701.

<sup>2</sup> S. Rit. C. 7 Decemb. 1844. in Alban.

propriis domibus, Sacella et Capellae piae (Sanctuaria) auctoritate S. Sedis, sive licentia Ordinarii erectae, item Capellae Collegiorum, Seminariorum, Congregationum religiosarum (de auctoritate Generalis vel Provincialis erectae), Hospitalium, Nosocomiorum, Carcerum publicorum, libero usui et commoditati destinatae.

§ II. — De Missa privata in Oratorio privato.

**941.** Oratorium privatum dicitur Oratorium, quod ex concessione S. Sedis et recognitione ac approbatione Ordinarii ad certum vel indefinitum tempus pro Missae celebratione destinatur in commodum alicuius privatae familiae, certis sub clausulis. Prohibetur habere ingressum vel egressum in viam publicam.

**942.** Celebrans sive saecularis sive regularis, Sacrum faciens in Oratorio privato, tenetur stare suo Calendario, etiam quando Officium dicitur de aliquo Beato, excepto solo festo Patroni loci, quo etiam Oratoria privata afficiuntur <sup>1</sup>.

**943.** In Oratorio privato una tantum Missa in die celebrare permittitur; et ut haec unica celebrari liceat, omnino requiritur actualis praesentia alicuius ex personis, quibus principaliter concessum est Indultum et quorum nomina leguntur a tergo Brevis Apostolici <sup>2</sup>. Si tamen Parochus cognoverit SSñum Viaticum aegroti morti proximo difficillime porrigi posse, nisi celebret in Oratorio domestico domui infirmi proximo: in hoc casu Missam dicere potest in Oratorio, etiam si nullus

<sup>1</sup> S. Rit. C. 12 Novemb. 1831.

<sup>2</sup> Benedict. XIV, Decret. *Cum duo*, 7 Ianuar. 1741.

indultariorum Sacrificio adstet, et exinde SSmum Sacramentum infirmo deferre <sup>1</sup>.

944. Festa, quibus non licet Missam celebrare in Oratoriis privatis absque speciali Apostolico Indulto sunt: festa Nativitatis et Epiphaniae Domini, Paschatis, Ascensionis et Pentecostes, et Feriae V, VI et Sabbato Hebdomadae maioris; festa Annuntiationis et Assumptionis B. M. V., festa SS. Apostolorum Petri et Pauli, Omnium Sanctorum, et Patroni principalis civitatis vel Dioecesis, non vero Titularis parochiae, quia hoc festum non est de praecepto fori <sup>2</sup>.

945. Si vero ex speciali Indulto concessum sit pro aliquo Oratorio privato Missam celebrare diebus num. praecedenti assignatis, alias exceptis, die Nativitatis Domini potest ibi Sacerdos tres Missas dicere.

946. Festum Titularis in Oratoriis privatis, et etiam in Oratoriis sub num. 940 numeratis, non potest fieri sub ritu I cl. cum *Credo*, Octava, etc., nec sub quocumque alio ritu (standum est Calendario et ritui diei currentis); iam vero in Ecclesiis parochialibus et etiam non parochialibus, simpliciter dedicatis, licet non consecratis <sup>3</sup> sed benedictis, fieri potest et debet.

947. Quoad festa Immaculae Conceptionis, S. Ioseph, et alia, standum est clausulis in Brevi expressis <sup>4</sup>.

948. Quando aliquod festum ex Indulto Apostolico transfertur in Dominicam proximam, Missa in Oratorio

<sup>1</sup> S. Rit. C. 27 Aug. 1836, in una Veron. ad 8.

<sup>2</sup> S. Rit. C. 11 April. 1840.

<sup>3</sup> S. Rit. C. 16 April. 1886.

<sup>4</sup> S. Rit. C. 7 Februar. 1874.

privato non in hac Dominica, sed in ipso die festi est vetita <sup>1</sup>.

949. Sine speciali S. Sedis Indulto et Episcopi licentia ad hoc, non licet in Oratorio privato dare S. Communionem adstantibus, etiam si ibi celebrent Regulares <sup>2</sup>; nec generatim licet illis administrare Sacramenta.

## CAPUT V.

### DE MISSA PRO DEFUNCTIS IN GENERE.

950. Missae de Requie extra ordinem divini Officii diei sunt, et cum ipso omnino nullam habent relationem; ideoque in eis non fit Commemoratio diei festi, neque caput inclinatur, cum in Canone aut alibi occurrunt nomina Sanctorum, quorum festum aut commemoratio agitur <sup>3</sup>.

951. Color paramentorum sit niger, nisi in casu quo die 2 Novembris SS. Sacramentum sit expositum pro solemniori Oratione Quadraginta Horarum; in hoc casu color paramentorum sit violaceus <sup>4</sup>.

952. In Missis pro Defunctis omnia, etiam ultimum *Requiescant in pace*, dicuntur in plurali, quamvis Missa pro uno tantum Defuncto celebretur aut applicetur.

953. In illis ritus in capite sequenti expositus est servandus, praeter sequentia:

<sup>1</sup> S. Rit. C. 23 Maii 1835.

<sup>2</sup> Benedict. XIV, Constit. *Magno*, 2 Iunii 1751.

<sup>3</sup> S. Rit. C. 12 April. 1823, in Panormit. ad 13.

<sup>4</sup> S. Rit. C. 27 Iun. 1868.

954. Ante Confessionem non dicitur Ps. *Iudica me*, sed facta de more Cruce et dicta Antiphona *Introibo ad altare Dei*, Celebrans responso a Ministro *Ad Deum qui laetificat* etc. statim subiungit *Adiutorium nostrum* etc. ac deinde *Confiteor* etc.

955. Ad Introitum non seipsum, iam vero, sinistra super Altare posita, dicens *Requiem aeternam* etc., manu dextera extensa facit signum Crucis super librum, quasi aliquem benedicens.

956. *Gloria* omittitur, similiter et *Credo*.

957. In Missis pro Defunctis in die obitus, depositionis, tertio, septimo ac anniversario, et quandocumque pro Defunctis solemniter celebratur, unica dicitur Oratio diei ipsi congruens; in aliis Missis dicuntur semper tres Orationes, quibus tamen aliae pro libitu addi possunt, dummodo sint numero impares et ex illis desumptae, quae in Missali post Missam quotidianam sunt assignatae: et primo loco dicatur *Deus, qui inter apostolicos*<sup>1</sup>, ultimo vero *Fidelium Deus* etc.

958. Pro Oratione *Deus, veniae largitor* etc., aliquando subrogari potest in Missa quotidiana alia, vel pro Patre et Matre, vel pro iis pro quibus Missa applicatur etc., dummodo ultima sit *Fidelium Deus* etc.

959. Ubi in Oratione occurrit littera *N.*, et tantum ubi occurrit, exprimitur nomen Defuncti baptismale, si est saecularis, Religionis vero, si est Religiosus, et non aliud.

960. *Dies irae* recitari debet, cum una tantum dicitur Oratio aut cantatur in Missa<sup>2</sup>; cum autem plures

<sup>1</sup> S. Rit. C. 16 Septemb. 1865, in una Tuscan.

<sup>2</sup> S. Rit. C. 12 Aug. 1854, in Brioncen. ad 12.

dicuntur Orationes, dici aut omitti potest ad arbitrium Celebrantis.

961. Dicitur *Munda cor meum*, non autem *Iube Domine benedicere*, nec *Dominus sit in corde meo* etc.; librum in fine Evangelii non osculatur Sacerdos, neque dicit *Per evangelica dicta* etc.<sup>1</sup>.

962. Ad commixtionem aquae cum vino dicitur consueta Oratio *Deus, qui humanae substantiae* etc., sed aqua non benedicitur manu.

963. In fine Ps. *Lavabo* non dicitur *Gloria Patri* etc., neque quid aliud.

964. *Agnus Dei* recitatur a Celebrante manibus ante pectus iunctis, sed non Altari impositis, quin tamen pectus percutiatur: et loco *miserere nobis*, dicitur prima et secunda vice *dona eis requiem*, et tertia vice loco *dona nobis pacem*, subiicitur *dona eis requiem sempiternam*.

965. Omittitur Oratio *Domine Iesu Christe, qui dixisti* etc.

966. Loco *Ite Missa est* dicitur *Requiescant in pace*, converso tamen prius Sacerdote ad Altare.

967. Dicta Oratione *Placeat tibi, sancta Trinitas* etc., Celebrans osculatur Altare, et omissa benedictione ac inclinatione, vadit ad cornu Evangelii ac dicit Evangelium S. Ioannis more solito.

<sup>1</sup> S. Rit. C. 11 Septemb. 1847, in Veronen. ad 12.